



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**F. Ioannis Andreae Coppensteinii, Ordinis Prædicatorum
Theologi & Parochi Heidelbergæ Castigatio Apologiæ
Calvino-Catecheticæ**

Coppenstein, Johann Andreas

Moguntiaë, 1626

Ad Qvæst. XXVI. Quid credis, cum dicis: Credo in Devm Patrem. &c?

urn:nbn:de:hbz:466:1-35247

Magnus, scilicet: aut alij farinae similis Oleuiani, Lagi, Pythopæj. &c. pythopneumatici.

2. Deinde; Minister hic quodammodo contradicit Magistro suo Caluino, affirmanti Instit. l. 1. c. 16. §. 18. *Apostolis CERTE magno Veterum consensu Scriptorum adscribitur Symbolum hoc: de autore interim minime sollicitus: Sive quidd ab illis in commune conscriptum ac editum existimabant; siue quod compendium illud ex doctrina, per eorum MANVS TRADITA, bona fide collectum, tali elogio confirmandum censuerunt. Neque mihi DV-BIV M est, quin à prima statim origine Ecclesie, adeoq; ab IPSO Apostolorum seculo, instar publica, & omnium calculis receptæ Confessionis obtinuerit; vnde cumque tandem initio fuerit profectum. Neque ab Vno aliquo priuatim fuisse conscriptum verosimile est; cum ab vltima usque memoria sacrosanctæ inter pios omnes Autoritatis fuisse constet. &c.*

Sed Minister malle stare videtur cum Caluini hypodidascalo Beza; cuius hæc sunt verba, in sua Confessione cap. 5. art. 17. *Si vniversam salutis doctrinam Apostoli INTEGRAM quidem Voce annunciantur; sed editis libris aliqua tantum ex parte explicantur: quis tandem merito in ipsorum doctrina conuiescet? Certe in primis non Minister Apologista, qui eorum scripta negat esse Euangelia proprie. Id quod illi, De Nomine, largior; at de Re, infitior.*

AD V. Traditio, ais, non est, cuius Veritas non contineatur in Scripturis. Vah, quam hoc implicans seipsum iugulat! Nam, quod est in Scripturis, non est Traditio: sed quod in ijs non est; sed Traditum vel scribitur à S. Patribus, aut non scriptum obseruatur, id proprie Traditio est; nihil contraria Scripturæ.

Tertullianista est Minister Apologista. Tertulliani error erat; Reijcere Traditiones nufquam à maiorum testimonio in scriptis proditas; at scriptas acceptare solas. Patet in meo *Indice Saculari, seu Demonstratione historica Romano-catholicae fidei, Saculo 3. anno 201. in varijs. Minister verò, Scriptas, Nonque scriptas rejicit: vult in S. Scriptura contentas. Nescis, quid petas, vel dicas, vel somnies.*

AD QVÆST. XXVI.

Quid credis, cum dicis: Credo in DEVM Patrem. &c.?

CATECHISMVS Caluino Heidel: Credo Deum, qui omnia gubernat propter *semetipsum*, & Christum, esse Patrem meum. Itaque sic ei confido, in eum *spero*, sic in eo acquiesco, vt non dubitem, quin profuturus sit omnibus, tum animo, tum corpori meo necessariis: Quin etiam quæ mihi mala: (*prater peccata*) sibi mittit, in meam salutem sit conuerturus. &c.

MINISTER I Per suum illud insertum *Semetipsum*, & nostrum *Propter*, ait, nos rectius agnoscimus, atque defendimus liberam & gratiosam Dei Voluntatem, quam Pontificij. Nam mors Christi est Vnicum illud meritum, P R O P T E R quod cum Deo sumus reconciliari.

2. Pro illis: *Sic ei confido*, ponit, *spero*. Negat certitudinem, & docet Dubitationem.

3. Illud, *prater peccata*, inserere non erat hic necessesse: Agitur enim de malo pænæ; non culpæ. Interim cogites Parochus, quid responsurus sit B. Augustino in Soliloq. c. 28. *Scriptis in libro Vita omnia cooperantur in bonum, ETIAM IPSA PECCATA. &c.*

4. Nota etiam hic Applicationem gratiæ Dei specialem pro vnoquoque; fideli in particulari. *Item: Certitudinem salutis in hac vita. Quam veramque toties negauit Parochus; hic aperte concedit, atque fatetur. &c. approbat, quod carpit.*

R E S P O N D E O. AD I. Sibyllæ canis folium; scilicet. Ideo ea in controuersia Tor Bellarmino clades tu Drance dedisti; siue tui. Nolo digredi; quod breuis esse volo: Falleris; & fallis. Age, de Christi merito vide meum *Lutherocaluinistam par. 1. qq. 59. 60. 61. 62. & parte 4. quæst. 64. Inque Antichristo par. 1. qq. 15. 16. & part. 4. quæst. 34.*

AD II. Quin imò nego dubitationem, & assero spei firmitatem in, & ex Deo. *Spes* altior est ac diuiniior virtus infusa; quam *Confidentia*; quæ hominem sapit etiam infidelem: at *spes* theologica solum Christianum.

AD III. 1. Quasi malum pænæ non præsupponat relative malum culpæ. Sed vlcusterigi caluinianum, de Autore peccati: quod caute dissimulat Minister. 2. Interim R E S P O N D E O S. Augustino: Verè asserit, quod expertus sensit; vt, sua cui peccata cooperabantur in bonum;

c non

non quidem ipsa formaliter & effectiue; sed eorum acerba recordatio occasionaliter, ceu stimulus pœnitentiæ. 3. Deinde; quia Calvinismus lateret sub hoc, Deus immittit mala; ego rectè inferui exclusiunculam hanc, prater peccata, quæ nunquam inmittit Deus.

AD IV. Nescio quo pruritu gestit Minister, affectatque me, & sæpe Bellarminum suis Calvinismi laqueis irretire: at frustra iacit rete ante oculos Pennatorum Retiarius Sophista. I. Ego verò sic in DEO acquiesco, vt non dubitem, in spe scil. Christiana; non in Fide speciali Luthero-caluiniana; quin prouisurus sit MIHI. &c. Similiter Applicationem gratiæ Dei facio, doceoque in particulari cum spe in fide; sed non sine metu mei: quo excludo damnoque fidem specialem, & eam solam. Dixi; lycophantam agi; non Sophistam, aut sophisticum; qui videri laboras in duabus tuis hic ratiocinatiunculis puerilibus. Pudeat te tui: pro te erubescio propter te: nec me tamen pœnitet tui.

AD QVÆST. XXVII.

Quid est prouidentia DEI?

CATECHESIS Calviniana vniuersè concludit: *Omnia non temerè aut fortuito; sed paterno DEI consilio & voluntate contingunt.* Ego ad vocem, *Omnia*, apposui; prater peccatum.

MINISTER, hic ex tempore factus est Magister in Theologia; sed suâ; auferre à me mineralaborat; mouet quaesitum; & docet. Age; sim vt Puer Duodennis; quin & infans, vt me diminuis: tu Rabbi esto. QUÆRIS:

An ergo peccata omnia fiant temerè, casu, atque fortuito: & non Consilio, ac Voluntate DEI?

MINISTER ait fieri consilio & voluntate DEI. Suadet t. Ita Ioseph aiebat, Gen. 45. *Non vestro consilio; sed Dei Voluntate huc missus sum. Vos cogitastis de me malum; sed Deus vertit illud in bonum.* Act. 2. *Christus definito Consilio & Prouidentia DEI traditus fuit à Iuda.* Act. 4. *Congregati sunt aduersus IESUM, &c. vt facerent, quacunq; Manus & Consilium Dei prius definierat.*

2. Deus vult peccata voluntate Permissiua; non Approbatiua, vel effectiua, vel complacent. Ita August. in En. h. cap. 100. *Ineffabili modo non fit prater Dei voluntatem, quod etiam contra eius sit voluntatem: quia non fieret, nisi sineret; nec vtiq; nolens finit, sed volens.* Ita & Suarez: *Non sunt peccata, nisi Deo volente; neq; ipse influit in ea, nisi voluntariè.*

3. DEVS peccata non tantum permittit; sed etiam ordinar, determinat, regit, gubernat ita; vt improbi, & diabolus nil mali possint, nisi permittente, volente Deo. Patet in porcis, Mat. 8. *Nec plura possunt mala, quam vult Deus: patet in Iobo, cap. 2. Denique malum exit in finem bonum, quem vult Deus: patet in Iosepho, Gen. 50.*

August. l. de Gen. ad lit. imperf. c. 5. *Vitiorum nostrorum non est autor Deus; sed tamen Ordinator.* Idem in Enchir. c. 27. *Melius indicabit de malis bene facere, quam mala nulla esse permittere &c.* Quæ omnia non simplicem permissionem indicant, sed etiam aliquid positiui actus Dei. Item August. l. de grat. & lib. arb. c. 21. *Operatur Deus in cordibus hominum, ad inclinandas eorum voluntates quocumque voluerit: siue ad bona, pro sua misericordia; siue ad mala, pro merito eorum: iudicio suo vtiq; aliquando aperto; aliquando occulto; semper autem iusto.*

Ita & Bellar. l. 2. de amill. grat. c. 13. sc. 8. *Deus etiam presidet ipsi voluntatibus malis, casq; regit & gubernat, torquet ac flebit, in eis inuisibiliter operando; vt, licet proprio vitio male sint, tamen à diuina prouidentia ad vnum potius malum, quam ad aliud, NON POSITIVE, sed PERMISSIVE ORDINANTVR.*

RESPONDEO. 1. Vniuersè: Remitto te Ministro magistrum ad meum Luthero-caluinistam, par. 4. q. 6. *An DEVS predestinavit omnium hominum peccata? q. 7. An impellat diabolus DEVS, vt nos ad peccandum inducat. q. 8. An DEVS occulta vi nos moueat, ac necessitet ad peccandum? q. 9. An DEVS operetur nobiscum peccata nostra? q. 10. An DEVS simpliciter sit dicendus autor peccati? q. 11. An DEVS, & an SOLVS sit autor OMNIS peccati? Vide etiam meum Antichristum par. 4. qq. 6. 7. 8. 9. Et Genealogiam Luthero-caluinismi par. 4. q. 5. Istic tua crepitacula ista dissoluta iacent ex Bellarmino, Becano. &c.*

RESPONDEO. 2. Vniuersè: DEVS circa hominum peccata facit ista: 1. Non impedit conatum Volentium peccare. 2. Negat eis, gratia destituti, auxilium speciale contra peccatum. 3. Permissiue finit pronos ad peccandum peccatore. 4. Offert subinde peccandi occasionē. 5. Peccata impiorum dirigit ad salutem electorum.

Vnde